

www.e-rara.ch

**Iusta defensio antiquissimi diplomatis quo Ludovicus imperator
coenobium nobilium virginum Lindaviense nono abhinc seculo stabilivit**

**Rassler, Maximilian
Constantiae, anno 1691**

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-24563>

Caput I. Scriptionis huius, seu defensionis occasio, ac scopus.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CAPVT I.

Scriptioⁿis huius, seu Defensioⁿis occasio, ac scopus.

N. I.

Defensio hac auctoritate Majorum, defendenda veritatis studio, sed non longo tempore parata: cur tam serò?

SI quantum temporis ab edita Censura Conringiana hæcenus effluxit, tantum parandæ & elaborandæ huic nostræ Defensioⁿi datum fuisset, meritò Eruditi suis absolutam numeris, & curioso eorum examine dignam lucubrationem expectarent. Anni enim sunt omnino octodecim, ex quo Hermannus Conringius, notum suis monumentis, & non uno cum adversario dimicationibus, an cladibus? nomen, Censuram suam typis Helmestadianis vulgavit. Verùm etsi operæ præclaræ pretium non modicum futurum erat, partem illum vix natam, & velut in cunis etiamnum vagientem suffocari; qui tamen id faceret (etsi fieri multorum non parum intererat) complures per annos inventus est nemo. Mihi autem non multis abhinc mensibus hæc provincia ab ijs imposita est, quorum vel nutus vereri me par est.

Nec tamen hi vel imperio, vel auctoritate à me un-

quam impetrâssent, ut operi manu admoverem, si & Censuram Conringij justam, & Diploma Ludovicianum tale, quale ab hoc authore adstruitur, invenissem.

Satis enim novi, veritatem imperiorum machinis non everti, nec ullius, etiam supremi in terris Monarchæ, iussa tantum valere vel debere vel posse, ut bello apertè injusto quispiam peti debeat, quem sola libido imperandi, aut invidentia fecerit inimicum. Verbo, potius est mihi, ut esse debet, veritatis studium cujusvis hominis gratiâ, & plus quàm infamem reputo servitutem; mentiri, ut placeam. Sed mendacio non fuit opus, ut Conringius confutaretur, & ejus Censura aut malæ fidei, aut ignorantia, aut, si mavis, utriusque damnaretur; complura statim se offerebant, quibus in suspicionem primùm fides, aut eruditio Conringiana vocarentur; mox etiam author fraudis aut erroris manifesti convinceretur.

Plus quidem & temporis & otij ego desiderâssent, & res poscere videbatur; sed cùm non exiguum esset in longiore morâ periculum, festinandum scilicet fuit, & bonæ causæ patrocinium maturandum; ne diuturnius silentium esset non simplicis criminis, cujus diplomatis authores æquè ac Patroni insimulabantur, confessio. Ignoscent proinde Lectores benevoli, si desideraverint hîc aliqua, quæ plus gratiæ & splendoris opellæ huic nostræ conciliarent, ac faciliè addi potuissent, si sedecim annorum spatio, quanto partum suum lambere, lingere, fingere & refingere Conringio licuit; meditari etiam nobis, antiqua monumenta, & nescio quot tabulas ac testes consulere permissum fuisset.

Quamvis autem ista fortassis desint operis parerga, spondere tamen ausim, nihil defuturum eorum, quæ ad rei summam ac caput pertinent: in quibus omnibus ea fide ac sinceritate utar; ut nullius examen reformidem, cui placuerit adire

adire fontes, ex quibus nostra hauriam, & testes audire, quos adduxero. Immo dabo operam, ut quæ alienos oculos arbitros admittunt, eâ autoritate, eorum testium asseratione confirmem, in quos nec erroris, nec deceptionis suspicio cadere prudenter possit. Sic quoniam plurimum refert, Diploma ijs tandem, quoad typici characteres patiuntur, notis exprimi, ut proximè ad prototypon accedat, id statim principio curabo, ne Lector desideret: additâ idoneorum planè arbitratorum assertione, qui coràm ipsi inspexerint, quæ non licet omnium oculis spectanda offerre; eaque ita se habere, ut à nobis ponuntur, sanctè contestentur.

N. I I.

*Controversiæ initia, progressus, incrementa in
hanc usque diem.*



Uvat porro controversiæ hujus initia, progressus, & incrementa ad præsens usque tempus clariùs ob oculos ponere; ut etiam, qui domestici non sunt (nam etiam horum ad manus perventuram speramus scriptionem istam) apertè intelligant, qua de re, & quàm non sine causa contendamus. Nam si de tribus, ut ajunt, capellis tantùm lis esset, næ ego nec tam abundo tempore, nec tam litium amans sum, ut vel verbulo contendere cum adversantibus vellem. Sic igitur res habet. Est in lacu Acronio, quem Potamicum, Bodnicum, Brigantinum, Constantiensem alij dixere, hodièque dicunt, quà à Constantia, urbe nominatissima, Orientem solem versus porrigitur, haud procul à littore Suevico Insula non magna, unum fermè in ambitu milliare germanicum complexa. In hac pervetustum est

Cœ-

Cœnobium Nobilium Virginum, quod originem suam ævo Carolingico, & nono scilicet à Nato Deo-Homine seculo debet, ut subinde certissimis argumentis evincam. Istud per varios casus, & rerum eventus multiplices (quid enim aliud tot seculorum decursu humana ferret conditio?) ad nostrosque dies conservatum Romana sacra constantiâ summè laudandâ tuetur, & Illustrium ac Nobilium Puellarum educationi adaptatum, Antistitam seu Abbatissam habet S. R. Imperij Principibus annumeratam. Hæc sua incrementa, & tam nobilem inter Imperij membra locum Illustrissimus hic Parthenon maximam partem debet antiquissimo Diplomati, quod paucis post suam originem lustris ab Imperatore Ludovico (primus, an secundus, an verò Ludovicus Germaniæ Rex is fuerit, postea investigandum erit) accepit. Hoc Diplomate per plura deinceps secula ad jura resque suas tuendas adversus infidiantes Parthenon usus est: neque quisquam inventus [certè ejus rei memoria nulla extat] qui de ejusdem veritate & fide ambigeret: donec tandem anno labentis seculi tertio & quadragesimo Urbis Lindaviensis contra Monasterium Advocatus, dum prægrandi volumine causam sibi commissam agit, ut multarum controversiarum filum ictu uno amputaret, multis in medium adductis suæ opinionis firmamentis, primus post tot secula litem de Diplomatis autoritate & veritate intentare est ausus, ut à folio operis illius 859. per plura deinceps videre est. Libri illius authorem, atque ad eò Diplomatis impugnatores non semel voce & calamo Daniel Heiderus U. C. se esse professus est: & hunc ipsum tam pulchræ prolis parentem citra dubium agnoscit Conringius Censuræ suæ capite I. Fuit autem, quem dixi, Daniel Heiderus non tantum beneficiario jure Parthenoni obstructus, sed antehac Oeconomicis rebus ejusdem curandis adhibitus arcana quæque

& recondita in Archivo & scrinijs lustrare , atque adeò Diploma ipsum suismet oculis inspicere potuerat. Hâc intimâ rerum & Jurium Parthenonis notitiâ (quâ fide, æquus lector censeat) usus , quem dixi , Heiderus litem planè novam movit , & persuadere tam Aulæ Cæsareæ , quàm erudito mundo conatus est ; Diploma illud antiquissimum non Pij Imperatoris beneficium , aut collati beneficij monumentum , sed nequissimi impostoris texturam ac figmentum esse.

Quis Religiosissimo & Illustrissimo Parthenoni in hac tam palmari injuria sensus fuerit , facilè conijciet , qui secum reputare voluerit , quàm ægrè possessione multorum seculorum lapsu firmatâ detrudamur.

Hoc autem infrunito sanè Heideri ausu (ignoscet Conringius verbo , quo ille non semel Cœnobj Hyperaspisten perstrinxit) manifestum erat , res , spes , famam , existimationemque non superstitum tantum , sed multò maximè pridem vitâ functorum peti ; ut qui & sua stabilire , & alienis insidiari per turpissimam & nefariam fraudem voluissent. Cur enim aliàs falsis & commentitijs ejusmodi tabulis ijs , quorum intererat , imposuissent ?

Æquissimum proinde , & planè necessarium fuit , ut à se , ut à Majoribus suis notam tam probi ac dedecoris plenam , quibus demum posset vijs ac artibus , Parthenon amoliretur ; quod tanto facilius erat obtenturus , quo apud æquos rerum arbitros ac judices vix , ac ne vix quidem , fidem inveniunt , qui omnium opinione infontes , & vel à suspicione sceleris remotissimos , gravium flagitiorum insimulare non verentur : id quod Heiderus contra illas personas ausus fuerat , quas sexûs conditio , religiosa vitæ ratio , Illustrissima inter Imperij membra dignitas , beneficiorum ab ijs acceptorum memoria , ipsi debuerant facere venerabiles. Sed quid tandem non audet venalis Advocatorum quorundam

loquacitas & maledicentia? aut, si mavis, nimum partium
studium, patriæque per fas nefásque defendendæ amplifi-
candæque jurata contumacia?

N. I I I.

*Causam Diplomatis contra Heiderum vindicatam Herman-
nus Conringius denuo impugnat, & triumphum ante
victoriam canit. Ejus fides meritò suspecta.*



Æc porro se, Majorésque suos, à tam nefarij
criminis suspitione purgandi ratio Parthenoni
placuit; ut quemadmodum Heiderus Norim-
bergensibus Wolfgangi Endteri typis suas opi-
niones, aut commissæ fraudis argumenta vul-
gaverat, ita ipse triennio post non parvæ molis librum typis
Embsianis Bartholomæi Schnellij edi curaret; quo id præci-
puè agebatur, ut legitimi Diplomatis antiquissimi natales
adstruerentur, & omnis admissi tam nefarij criminis vel um-
bra ex animis partium studio non præoccupatis, immo ex
his quoque, aboleretur. Doluit ea res urbi, & injuriæ de-
pulsionem injuriam arbitrata, tantum abest, ut acquieverit,
ut causæ suæ, malè passim audientis, patrocinium Herman-
no Conringio, viro, cui eruditione & antiquitatis notitiâ
vix ullum parem tum habebat A catholicorum Secta, com-
mitteret, ejúsque operam ad Diploma Ludovicianum perpe-
tuis & pessimis notis configendum imploraret.

Fecit is strenuè, quod rogabatur; etsi lentiùs, quàm
pro votis Senatùs Urbici: non enim nisi vigesimo sexto an-
no ab editis vindicijs Cœnobiticis (quarum authorem, ma-
ximam partem, Henricum Wagnereckium S. J. Conringius
fuisse suspicatur) prodijt Helmeftadij Ludoviciani Diplo-
matis

*habebat Aug. Confess.
addicti*

maticensura, in qua ferenda sedecim ipsos annos per intervalla se laborasse fatetur author; citius utique pro urbe amica gratificaturus, si citius invenisset, quo se eruditis arbitris satisfacturum sperasset.

Observet ista Lector benevolus, discatque de fide Conringij jam nunc ambigere, quem videt ad scribendum accessisse animo refutandi, non autem veritatis explorandæ. Multum siquidem refert, quibus oculis primùm aspexeris lucubrationem, quam postmodum convellere aggrediaris: nam si displicuit, priusquam legeretur, pronum nimis est, in ea invenire errores, qui latent, & fingere, qui non latent: fermè, ut nemo rectè pronuntiat de forma faciei, quam oderit: in hac enim nævos videt, qui sunt, & qui non sunt, illos sibi videre videtur: maximè si merces proponitur maculas deprehendenti. Hanc suam censuram Conringius, ingenti verborum confidentiâ, demonstrasse luce palam se jactitat, Diplomatis Lindaviensis authorem conditorémque nec esse Ludovicum Pium, nec hujus nepotem Ludovicum ejus nominis Secundum, nec Ludovicum Germaniæ & Franciæ Orientalis Regem, Ludovici Pij filium, Caroli Magni nepotem. Et cum non nisi horum aliquem authorem habere possit, si quem haberet, cui acceptum referri posset, consequens esse, ut à nefario quodam impostore confictum fabricatumque dicatur. Sic scilicet profligata est Diplomatis & Parthenonis causa; Respublica verò Lindaviensis magno metu libera, quidquid hæcenus Diplomatis istius fiduciâ molitus est in Luthericæ Sectæ & Jurium Urbis perniciem Parthenon, perpetuo & stabili jure sibi vindicare, seque à multis injustis vexationibus redimere poterit. Et verò patet, quantum sibi Urbs Conringianæ Censuræ fiduciâ arroget: quam evidentibus, certisque indicijs criminum falsi convictum Cœnobium gloriatur, inque suis, quæ Cæsareæ Aulæ iudicibus obtulit, defensionibus profiteatur.

N. I V.

Conringij temeritas in relegando ad Orcum Diplomate.



Hic equidem nescio, quid prius mirer, an audaciam & confidentiam Conringij, in rebus tam obscuris invenisse se gloriantis, quæ nemo convellat, tantùmque lucis allatum, ut plus aliunde affundi non possit; an verò Urbicorum Magistratum & Advocatorum credulitatem, qui scriptori non dicam mendaci (quamquam ne ab hac quidem nota illum eximent, quibus hæc legere placuerit) sed sæpius falso & fallenti, fidem ipsi adhibeant firmissimam, & ab alijs adhiberi velint. Ut nihil dicam de portentosa illa, & nemini sapientum probanda scribendi audacia, quâ Diploma per tot secula sacrosanctum, tot Imperatorum, atque adeo etiam hodie felicissimè sapientissimèque imperantis LEOPOLDI autoritate confirmatum, probatumque, ipse tamen in orco natum, conceptumque, inde in has oras obstetricante perfidiâ protrusum, eò cum Orcino suo capite retrudendum pluribus locis effutire non vereatur. *In epistola nuncupat: in fine cap. 19. Et alibi sæpius.* Parcius ista, vir bone, si tamen bonus es, nobis quidem cum orco nihil commercij, neque Majoribus nostris fuit unquam: & tu, si temerarius & maledicus calumniator haberi non vis, alijs omnino argumentis, quàm quibus hæctenus usus es, scelus hoc nobis affrices necesse est; interim patienter feras oportet, si suspicemur, hominem tam crebrò de orco locutum, non multum cum cœlo habuisse commercij, aut aliud agentem indicasse, quò gravissimi circa Religionem, quibus laborabat, errores, illum quondam essent deducturi. Atque hæc, fortassis ante tempus, calamo extorsit rei indignitas: quis enim dissimula-

re diu possit vivorum æquè ac vitâ functorum, & summo-
rum quidem virorum ac feminarum famam tam immaniter
lacerari?

Nemo tamen non videt, quàm meritò ad causam Il-
lustrissimi Parthenonis quanto maximo conatu defenden-
dam exarserint, in quorum notitiam ista venêre. Atque u-
tinam ego tantum ingenio, eruditione, & eloquentiâ vale-
rem, quantum causæ conditio requirit. Certè nihil patiar
in me operæ desiderari; cùm non nesciam, quanto lauda-
bilioꝛ etiam Eloquentiæ Parenti vita sit accusatione defensio:
ita quidem, ut gloriam & gratiam defensionibus maximè
parari pronuntiârît: in quo quidem ab ipso non dissentio:
etsi non istud quidem ego laboris vel solatium, vel stipen-
dium expecto, cui satis est, operam bene honestèque pro ve-
ritate locasse.

N. V.

*Defensionis hujus is tantum scopus est, verum Diplomatis
Authorem contra Conringium propugnare.*

Hoc igitur mihi scriptione ista propositum est,
& nihil præterea: inquirere, verène alicui, &
cui Ludovico Imperatori Diploma Lindavien-
sis Asceterij acceptum ferri possit? & cùm Con-
ringius demonstrâsse sibi visus sit, nulli planè
id adscribi posse, ego è diverso & hominem istum in mul-
tis hallucinatum, & controversum Diploma illum ipsum,
cujus nomen præfert, Imperatorem authorem habere tam
verisimilibus indicijs argumentisque conficiam, ut sperem
me prudentes arbitros facilè in meas partes pertracturum.
Verisimilibus, inquam, argumentis; nam qui alia vel expe-
ctat, vel invenisse se jactitat in litibus tam antiquis, næ ille

& temporum & rerum humanarum conditionem penitus ignorat.

Quàm multa hîc afferre in medium possem hac nostra ætate gesta, de quibus, qui certa tantum, & à nemine negata accipere velit, & credere, parùm profectò credat? & in antiquissimis illis, ac tanto seculorum intervallo à nobis remotis eâ quis sit mentis acie, ut vera à falsis haud aliter, quàm si coram illa intueretur, certissimè discernat? præterquam quòd id, quod tot secula ut verum agnovere, nemo prudens ut falsum repudiare possit, quia sunt aliqua, ob quæ in dubium revocari possit; etsi longè plura pro illius pugnent veritate. Scimus quidem, etiam errorem antiquum esse posse; est tamen magna ut possessionis, ita & vetustatis prærogativa; & sicut illâ nemo detruditur, nisi cum alius certis, aut saltem multò verisimilioribus indicijs se rei dominum probaverit; ita radicata vetustate opinio vix, nisi evidentissimis argumentis, cedere debet: tantum abest, ut cum ipsa est verosimilior, levibus duntaxat conjecturis funditus evertatur.

Hoc proinde secum statuatur, quisquis ad ista legenda accesserit, abunde satis me facturum officio, si pro mea sententia & causâ firmamenta attulerò, quæ prudentem assensum mereantur; quantumvis non omnis dubitationi locus præcluderetur. Quæ tamen non eò dixero, quasi non sperem, me animis præjudicio non occupatis omnem dubitationem exempturum. Malo præstare plura, quàm pollicear: id enim est honestius, quàm multa polliceri, cum præstes pauca.



N. V I.

*Alia inter Parthenonem & Urbem lites alijs relinquuntur:
immo nec nuperorum Vindicum Cœnobialium omnia
propugnare est animus.*



Icebam etiam, hoc me solum acturum: nam et si plures aliæ Parthenonem inter & Urbem lites sunt & controversiæ, ego tamen ijs omnibus omissis, & alij relictis, qui forensibus causis magis assuevit, hoc agam, quod egisse videri voluit Conringius, Diplomatis inquam Authorem investigabo. Atque hinc etsi communis mihi cum illis est causa, qui Diplomatis hujus defensionem anno labentis seculi quadragesimo sexto suscipere, nolim tamen quisquam existimet; mihi id etiam oneris incumbere, ut quæ ipsi scripsere, propugnem. Eadem est mihi causa, sed non eadem ejus defendendæ ratio: idem scopus, sed via ad illum diversa: quæ certior, mea, an illorum, Lectores arbitrentur. Id enim ingenuè fateor, quæ ipsi iverunt, iri non posse; nec eum esse, quem ipsi contendebant, Authorem Diplomatis, rectèque id esse à Conringio demonstratum. Laudo proinde conatum ipsorum; quod præstiterunt, omni ex parte probare non possum. Nam absit, ut verum dicam, quidquid ab amico est dictum; magis ipso amica est veritas; nec hanc vel ab adversario inventam, aut post alios assertam, repudio. Sed unde mihi nova lux in rebus tam obscuris? quæ fiduciam deferro semitam ab ijs tritam, quos vel Conringius * fol. 3. post medium, ab inusitatâ industriâ, & monumentorum Germaniæ veterum æquè ac recentium notitiâ laudavit?

Nemo nescit, quanta sit seculi nostri in protrahendis

in

in lucem priorum seculorum monumentis sedulitas , quàm indefessum studium. Hac in re quàm egregiam præter ceteros operam locaverint summa eruditione , acerrimo iudicio , & incredibili labore viri Joannes Bollandus, Godefridus Henschenius , Daniel Papebrochius , quique eorum vestigijs in actis Sanctorum illustrandis institere ; Joannes item Mabilion tam in præclaro opere de Re Diplomatica , quàm in compluribus voluminibus , quibus suæ , quæ D. Benedicto Parente gloriatur , Familiæ Sanctorum acta persequitur , notius est , quàm ut à me multis hîc commemorari debeat. Horum laboribus , si Hyperaspistis cœ nobiticis frui licuisset , nã illi aliter , & scilicet mecum sensissent : modo veniã digni sunt & excusatione , si destituti subsidijs & monumentis , quæ dicti Authores velut pridem sepulta refoderunt , minùs feliciter , ut ego quidem iudico , in hac controversia versati sunt. Mihi autem vitio non vertetur , si , postquam duces sum natus , viam insisto securiorem , quamvis minùs tritam.

N. V I I.

In rebus antiquissimis pauca certa. Mabilioni quantum author defensionis debeat ?



Eterùm dum P. D. Jo. Mabilionis & P. Danielis Papebrochij nemini , dissimulare illud non possum , quod ad rem meam , & ad id scilicet , quod paulò ante dicebam , præclare facit , quàm in rebus antiquissimis post quantamlibet diligentiam pronum sit à vero aberrare. Evoluat , cui tantum otij animique est , quæ tanti viri ad posteros transmisere , librorum monumenta , & discet , quoties in re diplomatica hic ab illo dissentiat. Meum non est , nec ad rem præsentem

tem idoneum, in litibus tam doctis arbitrum agere. Nihil dubito, quin modò hic, modò ille propiùs attingat scopum, ad quem uterque tendit: uterque certè vel exemplo suo aperte demonstrat; humanos oculos, quamlibet curiosos & acutos, in rebus, tanto seculorum intervallo remotis, perspicendis cœcutire; nec ullam mentis aciem verum à falso citra erroris periculum discernere; quod fugit unum, inventum ab altero, & posteriorem diem sæpius anterioris magistrum esse. Idem porro eruditione & industriâ summâ vir Joan. Mabilion magna me oneris parte jam liberavit, dum Conringij Censuram, cujus exemplar erat nactus, non semel saniore censurâ castigavit, & hominem in pluribus falsum esse etiam lippientibus clarè demonstravit: id quod deinceps hujus libelli loco non uno patebit. Multum proinde fateor me huic Authori debere, & tantum scilicet, quantum illi, qui communem hostem plagâ non unâ mulctavit, eoque ipso ad bellandum haud paulò debiliorem reddidit; & vinci posse vincendo ostendit.

N. V I I I.

*S. Benedicti Familia ab inusta per Conringium
conficti Diplomatis nota
vindicitur.*



Adam & illud in hujus capitis sine coronidis loco, ex quo quid hominis sit Conringius apertius enotescat. Attexuit hic Author Censuræ suæ Gabrielis Naudæi Prioris Artigij nescio Satyram dicam, an Diras contra totum amplissimum Magni Patriarchæ Benedicti Coetum, easque ipse latinitate donavit. Hoc autem facere viri boni non fuit.

D

Nam

Nam vel ea labe, adulterandi nimirum Pontificum Cæsarumque Diplomata, verè adhæsit Ordini tam inclyto, vel ab homine irato, & sui præ vindictæ cupidine impote, ex toto, aut magnam partem per nefas conficta est? si illud; profectò lex illa Charitatis, tantopere in sacris oraculis inculcata, non faciendi alteri, quod tibi fieri nolis, vulgari & propalari arcanum non sinebat; tantoque minùs sinebat, quòd res non unum aliquem hominem, sed Cœtum numero amplissimum, antiquitate venerabilem, & nullis non titulis hodièque præfulgentem tangebatur. Nec enim vel privatus quisque æquo fert animo; quod nullus, aut pauci sciebant, id unius loquacitate populi rumorem fieri. Quid ergo necesse erat communi eruditorum linguâ vulgari, quod soli Galli, & ex his non multi, ad eam diem legerant, & sciebant? At si commenta sunt ista hominis rancore & invidiâ tabescentis, ut sanè esse existimo, quæ prudentiæ, quæ humanitatis, quæ charitatis jura ac leges sinebant, ne dicam jubebant, tenaci chartarum memoriæ eadem illini, & viros planè innocentes tam turpiter & ignominiosè coram eruditis omnibus traduci? Quem igitur æstimabimus Conringium, qui istud facere non dubitavit? quid fidei mereatur, qui nullo vel suo vel publico emolumento famam alienam tam invidè allatrat, tam probrosè traduxit? hoc omnino est artibus non bonis uti.

At hoc agendum erat, ut elevaretur fabricatorum Diplomatis Lindaviensis fides, & ut homines non inviti crederent; id Lindaviensi quoque in Cœnobio contigisse, quod in tam multis alijs factum fuisse intelligerent. Frivola excusatio. Nam & Diploma confictum non est, & si confictum, ab aliquo è Divi Benedicti Familia confictum esse, mera est Conringij conjectura. Nam ut tum Virgines illæ Divi Benedicti Legibus & Institutis vixerint, poterat

terat utique in earum gratiam Caussidicus aliquis, potuit rebus æconomicis Monasterij Præfectus, quales è seculo semper is Parthenon habuit, potuit quivis alius, qui artem tam pravam factitabat, aut sua sponte, aut suafu alieno fingere, quod confictum vult Conringius; quid necesse est, ut feminas excuses, in viros Religiosos tanto eorum cum dedecore & probro culpam conijcere? Accedit, quòd ne illud quidem unquam demonstrarit, aut demonstrare potuerit Censor, sub illud tempus, quo Diploma fabricatum est, adhuc S. Benedicti, & non Divi Augustini Disciplinam in Cœnobio viguisse. Nam etsi constat, ab illa ad hanc transiisse, quando tamen id factum sit, difficile est conjecturâ assequi, nec id definire Censor noster est ausus. Me si conjectura non fallit, id circa seculi decimi tertij annum sexagesimum factum est. Superfunt enim in scrinijs Parthenonis Bullæ geminæ non semel à me lectæ, Alexandri quarti una, altera Urbani etiam quarti, quibus ab omni secularium Jurisdictione & oneribus civilibus Parthenon eximitur. In priori Virgines illæ Ordinis D. Benedicti, in posteriore Ordinis D. Augustini esse dicuntur. Successit autem Alexandro defuncto Urbanus, ipso quem dixi, seculi decimi tertij anno sexagesimo, aut proximè sequenti: cùm ergo non diu ante obitum suum Diploma Alexander dederit, sub illud scilicet tempus mutatam fuisse Ordinis Disciplinam probabilissima conjectura est. Omnino rem hanc ut certam affirmarem, nisi scirem, ejusmodi etiam Bullarum scribas non esse ab errore in scribendo immunes, & potuisse vel Benedicti nomen nomini Augustini, vel hujus illi substitui: quod ex eo probabilitatis aliquid accipit, quia ejusce mutationis nulla in Bulla Urbani fit mentio; quam arbitror non fuisse omittendam, si paulò ante fuisset suscepta. Sed hæc conjectura est, valitura, quantum potuerit.

Saltem non constat ; cùm confictum, si Superis placet, Diploma est, tum S. Benedicti legibus Parthenonem vixisse ; atque adeò non sine injuria Benedictinis Patribus tam turpe & probrosum facinus affingitur. His paucis libero me onere quidquam deinceps ad illa, quæ in Censoris opere à pag. 375. ad 397. leguntur, respondendi ; cùm pateat, illa omnia ad causam nostram nihil facere, & majori sua laude Conringium illa fuisse omisurum.

Nunc quod pollicitus sum, Diploma ipsum ad Avtographi fidem quàm proximè expressum repræsentò. Sic enim complura, quæ Censor objicit, sponte ruent, & nullarum virium esse intelligentur, utpote aliter, quàm ipse existimet, in Diplomate exarata.

